*& innoxio:* & reſpondit: *non*, ἀπέκτεινε γὰρ τὸν πτωχὸν, καὶ τὸν ὠνούμενον, *interfecit enim (frigore) mendicum & mercatorem.*

Sic δριμὺς (έος) λόγος, ſive arguta, acuta & aſtuta diſputatio eſt, qvæ maximè abduducit ad dubitationem, illa *de tempore 4. Metaphyſ.*

*Cujus pars nulla eſt, id non eſt:*
*Sed temporis pars nulla eſt:*
*E. tempus non eſt.*

Nam præſens, ſive τὸ νῦν, non eſt, præteritum etiam non, neq; futurum eſt. Talis etiam illa *de Loco: O. qvod eſt, in loco eſt: ſed locus eſt: E. eſt in loco*, & ille locus in alio, & ſic in infinitum. *vide B. Jac. Martini de loco l. 1. c. 30. p. m. 242.*

## Caput XVIII.

Seqvitur jam *de Ratione ſolvendi* Elenchos Sophiſticos.

Eſt autem *vitium vel in formâ*, qvando violatur juſta diſpoſitio terminorum aut Propoſitionum, ita ut Syllogiſmus non ſit in certâ aliqvâ Figurâ aut modo.

Prius igitur *forma* Syllogiſmi inqvirenda eſt, qvàm *materia*. ubi nota: